

SCRIPTA

Numéro Scripta : 8684

Auteur(s) : Aimery II, Châtellerault (vicomte)

Bénéficiaire(s) : Neufchâtel-en-Saosnois, Notre-Dame de Perseigne (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1240, avril

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

AUTRE CHARTRE D'HAMERIC VICOMTE DE CHASTELERAUD BARON DE SONNOIS. — Aimery, vicomte de Châtellerault et baron du Sonnois, voulant obtenir pour l'usage de ses sujets du Sonnois, la jouissance du moulin à foulon construit par les moines, reconnaît tous les priviléges de l'abbaye ; en compensation il donne aux religieux une source avec un étang, les autorise à prendre dans la forêt toutes les pierres et les bois dont ils pourront avoir besoin et à élever les chaussées des étangs autant qu'ils voudront. Il reconnaît ensuite et approuve toutes les donations et confirmations de ses prédécesseurs. Avril 1240.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Fleury Gabriel, *Cartulaire de l'Abbaye cistercienne de Perseigne*, Mamers, Fleury et Dangin, 1880, n° XX, p. 56-59.

Texte d'après a

Omnibus Christi fidelibus ad quos presentes litere iste vidende pervenerint, ego Hamericus vicecomes de Castro-Heraudi, miles et dominus Sagonie, salutem in Domino sempiternam. Noveritis quod ego pro amore Dei divineque pietatis intuitu et salute anime mee et anime pie recordationis carissimi avunculi mei Roberti, comitis Alenconis et Sagonie domini, omniumque antecessorum et successorum meorum, dedi, concessi et in puram et liberam, perpetuam et quietam eleemosynam confirmavi Deo et Beate Marie de Persenia et monachis ibidem Deo et gloriose Virgini Marie et omnibus sanctis servientibus et servitulis, omnes et singulas res, eleemosynas, possessiones, usagia, homines, census, redditus, donationes, immunitates, justitias, et libertates ab antecessoribus meis sive quibuslibet aliis Christi fidelibus illis datas et concessas, et quidquid jam acquisierunt sive in posterum, Deo propitiante, adepturi sunt, videlicet de baronibus, militibus, burgensibus et aliis hominibus meis, tam in feodis, retrofeodis quam dominicis meis, eademque conquesta facta et facienda cum omnibus et singulis pertinentiis suis in puram et perpetuam eleemosynam, liberam et quietam cum omni jure, fide, homagio, garenna, jurisdictione et districtu et cum omni justitia alta et bassa atque etiam plenaria, et cum omni dominico, feodo atque dominio dictis monachis et successoribus suis in perpetuum possidenda concedo. Preterea ego sciens dilectissimum et fidelem avunculum et dominum meum videlicet Robertum comitem Alenconis jam dictum et alios antecessores meos ad predictum monasterium Persenia amorem et devotionem maximam habuisse qui ob principalem amorem et devotionem fecerunt se in dicto monasterio inhumari, volens quod dictos fratres eorumque successores de pacis et quietis perpetuo remedio providere, pravorumque malitiam et astutiam cupiens excludere, dedi jamdictis monachis et successoribus suis atque concessi fontem illum situm inter Noam... et stannum desuper dictam abbatiam precipiens et concedens quod ipsi fratres teneant, habeant et possideant dictum fontem, ejusque rivulum, cum fundo et pertinentiis suis, in proprio dominio, jure hereditatis perpetue tamquam suum proprium fundamentum, videlicet

a capite ipsius fontis usque ad nemora abbatie supradicte. Item cum prefati monachi, ex donatione fondatorum suorum, habeant molendinum fullonarium in quo ipsi et homines sui pannos suos fullonari faciunt et parari et ego in terra mea Sagonie, molendinum penitus non habeam in quo homines dicte terre mee Sagonie pannos suos parari vel fullonari faciant, benigne rogare curavi dictos monachos quatinus mihi et hominibus meis de Sagonio velint accomodare dictum molendinum, quounque in dicta terra mea molendinum fullonarium fieri procuravero. Ita tamen quod ego et homines dicte terre mee vel heredes mei ratione vel occasione concessionis hujusmodi aut alius in dicto molendino jus aliquod, jurisdictionem, dominium, molituram, possessionem vel proprietatem, sasinam, justitiam aut rem quamlibet aliam penitus non poterimus reclamare. Licet etiam dicti monachi heredibus vel successoribus meis aut ipsorum causam habituris hoc benigne poscentibus futuris temporibus dictum molendinum modo et gratia consimili duxerint concedendum ; et dono atque concedo dicto molendino cum pertinentiis plenarium usagium in forestis et nemoribus de Persenia videlicet et Blavone ad calefaciendum, edificandum et reficiendum quamvis hujusmodi libertas usagii ipsi molendino et aliis locis prefate abbatie a fondatoribus suis data sit antea et concessa. Dono etiam et concedo prefatis monachis et successoribus suis ut absque contradictione aliqua propter necessitam vel utilitatem suam possint lapides in forestis et nemoribus meis trahere, capere et habere et calceias stannorum suorum altiores facere. Et grangias, aratra, chalonna et pressoria sua locare vel mutuare et molendina sua fullonaria, tannonaria et alia et habergamenta, domos, medietarias et cetera loca sua edificata jam et etiam edificanda locare, mutuare sive ad summam pecuniariam ad redditum vel ad firmam tradere prout sibi melius viderint expedire. Item volo et precipio quod habergamenta et domus, tam facta et facienda tam acquisita etiam quam in posterum acquirenda a dictis monachis et successoribus suis in omni loco terre et jurisdictionis mee, in signum mere libertatis et eleemosyne libere ac perpetue crucis signaculo muniantur. Concedo etiam et confirmo prefatis monachis et successoribus suis usagium suum in omnibus forestis et nemoribus meis videlicet tam in haaiis, parchis quam in deffensis et deffaaiis antiquis et novis ad omnia necessaria vel utilia sua et porcorum ceterorumque animalium suorum pasnagium, herbagium et pasturam. Et hominibus suis usum et suorum animalium herbagium et pasturam quia propter hoc predicti homines, usum forestarum et nemorum capientes sex sextierias avene singulis annis per manum propositi monachorum mihi solvere tenebuntur. Per viginti vero locorum suorum donati residentes in locis usque ad centum porcos et ultra quictos a pasnagio habebunt. Porcharii vero dictorum monachorum si centum essent mercenarii quatuor porcos quietos a pasnagio tantummodo habebunt ; et prohibeo ne dicti monachi aut ab ipsis causam habentes et habituri in usagiis suis a forestariis vel custodibus forestarum vel nemorum impedianter vel perturbentur, maxime tamen cum abbas de Persenia in Natali Domini, in Pascha, et in die sancto Pentecostes in generali capitulo debeat excommunicare omnes illos tam monachos quam conversos tam servientes, mercenarios quam donatos qui, nomine dictorum abbatis et conventus, aliquid de dictis forestis et nemoribus ultra quam debuerint, alienaverint vel vendiderint sive dederint quoquo modo. Item volo et precipio ut servientes, operarii et charpentarii tam in locis et feodis dictorum monachorum quam in villis, castris vel aliis locis terre mee habitantes sive residentiam facientes, a nullo tamen preter a monachis accipientes salario nullum forestagium, mihi vel heredibus meis aut alibus a nobis causam habentibus vel habituris, solvere teneantur. Et si aliique compositiones sive ordinationes, ratione usagiis dictarum forestarum vel nemorum facte sint sive etiam per meos meis temporibus quounque modo facte fuerint, illas tanquam quassas et inanes penitus revoco, neque eas esse volo alicujus roboris sive etiam firmitatis. Item volo et precipio quod ipsi monachi et successores sui habeant, capiant et exerceant omne jus, jurisdictionem, libertatem, immunitatem, usagium atque justitiam suam sicut in omnibus et singulis cartis et privilegiis eorumdemque clausulis universis et singulis virorum bone memorie et recordationis inclyte, videlicet Willermi comitis Pontivii, Johannisque et Roberti quondam comitum Alenconis, nobiliumque principum Henrici et Richardi Johannisque, quondam regum Anglie, ducum Normannie, comitumque andegavensem et cenomanensium aliorumque Christi fidelium super usagiis, libertatibus, immunitatibus, jurisdictionis, justitie, guarde sive custodie et usagiis, declarationibus et exemptionibus plenius continetur, que et quas in universis et singulis clausulis contentis in eisdem et expressis per omnes et singulos articulos approbo, ratifico et confirmo, omnibus statutis et constitutionibus factis et faciendis, omnibus gratiis, privilegiis et consuetudinibus renuncians in hoc facto ; nichil michi et heredibus meis in omnibus et singulis in presenti charta exaratis et expressis sive in aliis rebus, possessionibus, hominibus, locis, habergamentis, usagiis, cartis et privilegiis, feodis justitie vel jurisdictionis nisi divinam remunerationem tantummodo retinens in premissis et si aliquid juris, guarde vel custodie, jurisdictionis vel justitie, ego vel heredes mei quacunque ratione, occasione vel consuetudine habemus aut habituri sumus in premissis vel aliquo eorumdem illud, eisdem fratribus et successoribus suis, in puram et perpetuam, liberam et quietam eleemosynam do, ac donatione valida concedo, perpetuis temporibus duratura et ad omnia et singula premissa tenenda et adimplenda dictis monachis et successoribus suis ac inviolabiliter perpetuo

observanda ; obligo me et heredes meos et omnia mea per presentem cartam sigilli mei munimine roboratam.
Actum anno gratie millesimo ducentesimo quadragesimo, mense aprilis.